



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

***CAMPPI GRANDIS\****

IN BRASILIA NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA  
CONDITUR, CAMPPI GRANDIS APPELLATIONE

Officii Nostri pontificalis conscius quam grave sit, in eo sane diligentiam nostram omnem, et studia, et industriam collocamus, ut videlicet Ecclesiis omnibus, quotquot per orbem terrarum exstant, quam maxime possumus consulamus. Gliscentibus enim ubicumque locorum et difficultatibus, et periculis, et Christifidelium discriminibus, iam apta atque praesentia oportet apparari remedia. Quare, cum Venerabiles Fratres Episcopi Regionis Extremae Occidentalis Conferentiae Brasilianae ad unum omnes consenserint ut e peramplio territorio Provinciae Cuiabensis nova excitaretur Provincia, cuius caput esset Ecclesia Campi Grandis, Nos re bene reputata atque tum Venerabili Fratre Carmelo Rocco sententiam rogato, Archiepiscopo titulo Iustinianopolitano in Galatia eodemque in Brasilia Apostolico Nuntio, tum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Negotiis Sacrae Congregationis pro Episcopis praepositis, apostolica Nostra auctoritate haec statuimus. A Provincia ecclesiastica Cuiabensi dioeceses Campi Grandis, Corumbensem, Auratopolitanam, ac Trilacunensem detrahimus ; praeterea Coxinensem Praelaturam ; quibus omnibus novam Provinciam ecclesiasticam condimus, nomine Campi Grandis appellandam, cuius ecclesia princeps erit haec eadem, quam ad dignitatem metropolitanae tollimus factis nempe iuribus Ecclesiarum huius ordinis propriis. Venerabilem autem Fratrem Antonium Barbosa, in praesens Episcopum Campi Grandis, primum Metropolitam eligimus atque per has Litteras renuntiamus. Scilicet reliquae Sedes provinciae erunt Sedi Campi Grandis suffraganeae. Ceterum, has Litteras Nostras Venerabilis Frater Carmelus Rocco ad exitum deducet, vel quem ipse legaverit, factis ad id necessariis facultatibus. Re vero acta, documenta exaret atque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittat. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo et vicesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo octavo, Pontificatus Nostri primo.

IOANNES Card. VILLOT  
*Secretarius Status*

SEBASTIANUS Card. BAGGIO  
*S. Congr. pro Episcopis Praefectus*

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*  
Godefridus Mariani, *Protonot. Apost.*

---

\*AAS, vol. LXXI (1979), n. 1, pp. 8-9.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana